

monis est *Bryum truncatulum*. Ut cætera taceam, in altero tomo *Musei Regis* nostri videbis animalia hæc, admodum singularia.

Dissertationes de *Ove*, de *Rhangifero*, de *Chinensibus Lagerstræmianis* nuper prædiere\*.

Diutinum autumnum excepit nix horrenda cum gelu intensissimo, quod nuper interruptum pluviis intentissimis aëreque nebuloso, quæ etiam nunc durant, cum febribus malignis seu amphimerinis petechizantibus.

D. Halmon cum duobus juvenibus nobilibus apud te commendo; sunt enim isti duo Hildebrandi egregii adolescentes, qui ultra annum meas audivêre lectiones. D. Halmon licet non ex professo medicus, tamen à nostrâ disciplinâ non alienus.

Qui demonstrabit necessitatem fructificationis in systemate plantarum, sibi perspectum habeat metamorphoses insectorum.

Audio Hallerum esse electum socium Academiae Parisinæ.

Loeflingius descripsit in Itinere versùs Americam facîle omnes pisces Pelagicos. Degit in Ame-

---

\* *Ovis-Cervus Tarandus*. — *Chinensia Lagerstræmiana*. Amæn. Acad., vol. IV, 1754.